

Plantae novae Orientales.

II.

Von J. Freyn (Prag).

(Fortsetzung.¹⁾)

Astragalus (LIX. *Alopecias*) *grandiflorus* Freyn. Elatus e Calycophysarum subserie, speciosus et exceptis calyce villosus, foliolorum marginibus et pedunculis sparse hispidis glaberrimus, caule flexuoso, nitidulo, stipulis herbaceis longe triangularibus, foliis patentibus, foliolis 10—11jugis ovato-lanceolatis, obtusis; capitulis in axillis supremis globosis speciosis, pedunculis eis triplo longioribus suffultis; bracteis longe linearibus calyce longioribus, membranaceis, hispidis, apicem versus saepe coloratis; calycis sericeo-villosi dentibus linearibus, tubum aequantibus et infimo porrecto excepto, flexuoso recurvis; floribus luteis, vexillo suborbiculari breviter inciso alas carina subtus angulo obtuso curvata sub-breviores sublongiore; carina magna, alas latiore; ovario styloque hispido legumine . . . ♀. Junio.

Armenia turcica, Kharput: in dumetis ad Schuschnas die 8. junii 1889 detexit Sintenis (Exsicc. 720).

Synon. *A. megalanthus* Freyn et Sint. in Sint. Exsicc. 1891 non DC. Astragologia (1802).

Dimensiones: Herba grandis; folia (basilaria non vidi) in apice caulis 25—30 cm. longa, foliola 4·2 cm. longa et 1·4 supra basin lata vel minora; pedunculus usque ad 12 cm. longus, capitulum 7·5 diametro!, calyx cum dente porrecto 2·1 cm. longus; bractee 2·3 longae; vexillum 3·5—4·0 cm longum, inter affines maximum.

Species ob dentes calycinis recurvas valde insignis et haec nota tantum *Astragalus kirrindicus* Boiss. comparanda a quo differt indumento fere deficiente (nec velutino-griseo), stipulis herbaceis (nec membranaceis), foliolis ovato-lanceolatis (nec ovatis), obtusis (nec mucronatis), utrinque glaberrimis (nec adpressiuscule griseis), margine tantum sparse et adpresse setosis, pedunculis capitulo 3plo longioribus (nec eo aequantibus), bracteolorum defectu, calyce sericeo-villoso (nec pubescente), vexillo sub 40 (nec 22) mm. longo et probabile etiam leguminibus. Habitu species nostra affinis est *Astragalo macrocephalo* Willd., sed diversa capitulorum et florum magnitudine, bractearum longitudine et praesertim dentibus calycinis flexuoso-recurvis (nec porrectis), qua nota inter affines excellit.

Astragalus (LXV. *Onobrychium*) *xylorrhizus* Fr. et Sint. n. spec. e grege vexillo glaberrimo et calycis pube adpressa; caulibus e rhizomate valido lignoso adscendentibus, tenuibus adpressissime canis; stipulis basi connatis, elongato trian-

¹⁾ Vergl. Nr. 4. S. 8.

gularibus; foliolis adpresse canescentibus 3—6 jugis elliptico-linearibus, foliorum infimorum saepe spathulatis; pedunculis gracilibus folio 3—4plo longioribus; capitulis densiusculis, globosis, paucifloris, fructiferis subelongatis laxis; bracteis pedicelli sesqui longioribus angustis, calycis adpresse albo et sparse nigro hirti dentibus triangulare-subulatis, tubo dimidio aequantibus; corollae (sicco saltim) caeruleo-violacea, vexillo valde producto oblongo apice truncato et bilobo alis pallidioribus sesqui-, calyce triplo fere longiore; leguminibus erecto- usque horizontaliter patentibus, adpresse albo-hirtis, lineari-subulatis in rostrum recurvatum longum abeuntibus, calycem sesqui excedentibus, dorso sulcatis. 21. Junio.

Armenia turcica. Egin: in monte Hodschadur-Dagh die 18. junii floriferum (Exs. 2657) et prope Salachlü die 25. junii fructiferum (Exs. 2721) leg. Sintenis.

Dimensiones: Caulis 20—40 cm., pedunculus 6—8 longus, foliola majora 24 mm. longa et usque 4 lata, minima dimidio breviora et angustiora; calyx 8 mm. longus, vexillum 22·5, legumen 13·5 longum et supra basin 3 latum.

Species habitu *Astragali Onobrychis* L. sed *A. adunco* Willd. magis affinis; ab hoc ultimo diversa foliolis 3—6 (nec 6—7) jugis, spicis fructiferis laxis, corolla multo majore, vexillo apice truncatim-bilobo (nec rotundato, mucronulato), alis et calyce multo longiore, leguminibus majoribus, subulatis, hamatis, calyce valde longioribus. *A. Onobrychis* L. jam caudice non lignosa, leguminibus non hamatis, laxis, foliolis 8—16 jugis etc. longius differt.

Astragalus (LXVI. Hololeuce?) xanthinus Freyn et Bornm. Humilis, adpresse subsericeus viridescens pube mediofixa; e caudice ramoso indurato laxe caespitosus, stipulis membranaceis a petiolo liberis, ovatis, connatis, subglabris ciliatis, parte libera triangulari-lanceolatis, foliis longiuscule vel breviter petiolatis, basilaria oligojuga minima late elliptica obtusa; summa plurijuga, elliptica vel oblongo-linearia acuta, foliolis 6—12 jugis, sparsis; pedunculis scapiformibus saepe flexuoso-adscedentibus, folii dimidium tantum aequantibus adpresse albo- et nigro pilosis, racemis laxis, initio capituliformibus subsphaericis, dein elongato-ovatis; bracteis ovatis usque lanceolatis, apice herbacea excepta hyalinis sparse pilosis, tubi dimidium attingentibus; bracteolis saepissime nullis et si adsunt, inconspicuis, brevissimis, linearibus hyalinis, calyce multoties brevioribus, floribus brevissime sed conspicue pedicellatis, erectis, flavescentibus, calycis campanulato-tubulosi sparse adpresseque nigro-pilosi pallidi dentibus ob pilos densiores nigricantibus elongato-triangularibus tubo subtriplo brevioribus; vexillo calyce plus duplo longiore a basi angustiori sensim obovato oblongo, retuso, alas carina longiores triente superante, parum curvato, legumine (juniore) erecto, biloculari, sparse pubescente lineari-falcato, recto, rostrato, calyce subdimidium superante.

Pontus australis in lapidosis alpinis montis Yildiss-Dagh ad 2300 m. supra mare die 8. junii 1890 leg. Bornmüller (Exsic. 2098).

Dimensiones: Caudiculi floriferi 2—4 cm. alti; folia adulta infima cum petiolo 2·5 cm. longa 0·8 lata, intima usque 11 cm. longa, 2·8 lata; foliola majora 14 mm. longa, 5·5 lata vel dimidio angustiora; pedunculus (1)—2—3·5 cm. longus; capitulum initio circ. 3 cm. diametro, demum usque 5·5 cm. longum, 2·6 diametro; calyx 9 mm. longus et ad basin dentium 4·5 latus; vexillum 18·5 mm. longum ad trientum superiorem 8 latum.

Species affinitate mihi subdubia formas humiles *Astragali odorati* Lam. referens, sed floribus erectis (nec deflexis) ab eo jam primu adspectu diversa. Magis affinis videtur *Astragalo alyssoidi* Lam., *A. hololeuco* Boiss. Buhse et *A. elbrusensi* Boiss. quae omnes floribus parvis, aliisque notis egregie differunt. Ab *Onobrycheis* nostra jam florum colore et pedunculis scapiformibus, a *Chlorosphaeris* stipulis connatis a petiolo liberis, longe abhorret.

Astragalus (LXVII. *Chlorosphaerus*) *hirsutus* Vahl var. *hispidus* Freyn et Bornm. Exsic. anni 1889. — A typo differt caule, petiolis, foliisque patentim hirsutis, foliis 1—4 jugis, calyce saepissime bibracteolato, bracteolis linearibus hispidis, calycis tubo dimidiam vel tertiam partem aequantibus. Color florum luteus exsiccatione livescit. Legumen (juvenile) typo non differt.

Pontus australis. Tokat: in pascuis lapidosis montanis ad 8—900 m. s. mar. die 13. maji 1889 (Exsic. 106); Siwas: in monte Tschamlü-bel supra Yeni-chan ad 1500 m. die 1. junii 1890 (Exs. 2104); Amasia: in monte Akdagh 1200—1900 m. s. mar. die 22. maji 1890 (Exsic. 2102) leg. Bornmüller. — *Pontus galaticus*: in subalpinis saxosis montis Abadschi-Dagh ad 1500 m. die 14. maji 1890 (Exs. 2103) etiam leg. Bornmüller.

Astragalus (LXVII. *Chlorosphaerus*) *squalidus* Boiss. et Noë var. *chloroxanthinus* Freyn et Bornm. A typo in Flora Orientali descripto differt foliolis lanceolatis (nec cuneatis) sub 14jugis (nec 8—9jugis) calyce saepe adpresse nec semper crispule hirto et corolla eximie virescente. 2. Maji.

Pontus galaticus: in monte Abadschi-Dagh 12—1500 m. supra mar. die 11. maji 1890 leg. Bornmüller. (Exsic. 2099.)

Humilis, acaulis; caudiculi 2 cm. alti, folia 5 cm. longa 1·5 lata vel minora, foliola 7 mm. longa, paulo supra medium 2 lata vel minora; scapi 2—4·5 cm. longi, capitula initio subhaemisphaerica — 2·5 cm. diametro, 1·5—1·6 alta, dein elongata, usque 2·6 cm. longa, floribus laxiusculis; pedicelli 1·5 cm. longi; calyx 8 mm., vexillum 15 mm. longum, legumen (juvenile) breviter cylindricum calyce brevius, dense tomentosum. Bractee tubo calycino dimidiam aequantes.

An *Astragali globosi* Vahl varietas?, sed bractee breves et flores manifeste pedicellati.

Astragalus (LXXV. *Proselius*) *viridissimus* Freyn et Sint. — Herba humilis pluricaulis adscendens (an prostrata?)

valde foliosa inter species vexilli lamina ovata vel oblonga versus apicem non strangulata et legumine erecto vel erecto-patulo donatas inserenda, foliis virentibus facie superiore glabrescentibus, subtus parce adpressissimeque strigulosis, stipulis apice triangulari-lanceolata herbacea excepta membranaceis, parce hirtis; foliolis minutis 6—10 jugis, ovato-orbiculatis, retusis; pedunculis folii dimidium aequantibus; racemo paucifloro, subcapitato terminatis; bracteis ovato-lanceolatis, margine membranaceis, pedicellis duplo longioribus; calycis parce et patentim albo et nigro setulosi dentibus lanceolato-subulatis tubo 4-plo brevioribus, corolla (sicca) caerulescenti, vexilli calyce duplo longioris alas oblique bilobas quarta parte superantis lamina obovato-oblonga, retusa, leguminibus (permaturis!) erecto-patentibus adpresse et sparse setosis, oblique-oblongis compressis subincurvis latitudine sua triplo longioribus, abrupte tenuiter et unilateraliter cuspidatis, sutura carinatis, dorso (leviter?) sulcatis.

24. Exeunte Aprili.

Pontus; Trapezunt: in apricis inter Mataradjik et Hamskiöi die 28. aprili 1890 leg. Sintenis (Exsicc. 2082).

Dimensiones. Caulis 10—14 cm. longus, ramis brevissimis; folia majora 5 cm. longa, 1.2 lata, petiolo vix centimetrum aequante foliola 5 mm. longa, 3.5 lata; pedunculi 1.5—2 cm. longi; calycis tubus 10, dens 2—2.5 longus, vexillum 23, legumen cum cuspidate trimillimetrally 17 mm. longum, 5—5.5 latum.

Affinis *Astragalo sanguinolento* MB. a quo differt caule valde ramoso (nec subscaposo), foliolis 6—10 (nec 10—15) jugis, calyce patenter (nec adpresse) piloso, corolla sicco saltim caerulescente (nec albida, carina sanguinea) et leguminibus forma. *A. haematocarpus* Bunge nostro legumine brevi et lato affinis, differt stipulis herbaceis, pedunculis scaposis folio longioribus, foliolis 12—15 jugis, oblongo-ellipticis etc. nec non statione alte alpina.

Hedysarum xanthinum (Frey in Bornm. exsicc. Anatol. 1889 et in „Oesterr. Botan. Zeitschr.“ XL. [1890] p. 445—446 sub *Onobrychide*) Freyn et Bornm. Diese Pflanze ist 1890 von Bornmüller in einer rosenroth und gelbbunten Form (= var. *variegata* Freyn) am Berge Kirkklar oberhalb Amasia in 500—700 M. Seehöhe gefunden (Exsicc. 1831). Nach einer sehr jungen Hülse konnte ich nun sicherstellen, dass diese Pflanze doch ein *Hedysarum* ist. In dieser Gattung ist sie in die Sect. II Gamotion Basin. und im Sinne der Flora Orientalis unter die „Multicaulia vexillo carina brevius“ einzureihen. Von den Arten dieser Verwandtschaft (*H. obscurum* L., *H. Huetii* etc.) ist *H. xanthinum* durch die ungemein grosse Carina weit verschieden. Dieselbe ist fast spitzwinkelig gebogen, um mehr als die Hälfte länger als die Fahne und doppelt so lang als die Flügel. Die (noch sehr junge, den Kelch wenig überragende) Hülse ist 2gliedrig, dicht filzig.

Hedysarum Huetii Boiss. β . *varium* Freyn. A typo differt caule ut videtur erecto (nec decumbente) plus quam pedali,

foliolis 3—7 (nec 3—4) jugis et praesertim florum colore nec purpurea, semper alba, alis carinae apicibus purpureis. — Carina vexillo alis sublongiore paululum longior, ovaria et folia glabra; legumen ignotum. 24 junio.

Pontus Australis. Asia: in collibus apricis montis Akdagh alt. 600—800 m. supra mar. leg. Bornmüller.

Syn. *H. varium* β . *phrygium* Freyn in Bornm. exsicc. Anatol. anni 1889 no. 111 (nec Boiss.).

H. varium β . *phrygium* verum Boissieri a nostra indumento adpresse hirto, foliis minoribus et floribus flavis diversa.

(Fortsetzung folgt.)

Beitrag zur Kenntniss der Gattung *Rumex*.

Von Karl Rechner (Wien).

(Schluss.¹⁾)

13. *R. obtusifolius* L. und sein Formenkreis. Kaum eine *Rumex*-Art weist einen solchen Formenreichtum auf, wie die von den meisten Systematikern der Gegenwart mit dem Linné'schen Sammelnamen *obtusifolius* bezeichnete Species. Die Sichtung dieser Formen wurde schon in früherer Zeit von verschiedenen Autoren versucht. In neuerer Zeit hat Haussknecht's²⁾ Unterscheidung ein Bild der in Thüringen vorkommenden Formen gegeben. Murbeck unterzieht die in Süd-Bosnien und der Hercegovina vorkommenden Formen einer genauen Kritik.

Es ist ungemein schwierig, in unserem Florengebiet über die vielfach durch Uebergänge, doch wie es scheint, nicht durch Bastardbildungen verbundenen Typen bestimmte Anhaltspunkte zur Trennung der Formen zu geben, da wir die geographische Verbreitung nicht hinlänglich kennen und es nicht ausgeschlossen ist, dass die klimatischen Verhältnisse, die Bodenbeschaffenheit und andere Agentien für die Entwicklung und schliessliche Gestaltung der systematisch wichtigen Organe von Bedeutung sind. Jedenfalls wären ausgedehnte und gründlich durchgeführte Culturversuche für die richtige Erkenntniss von Wichtigkeit.

Dass wegen der zahlreichen auftretenden Zwischenformen der ganze Formenkreis unter dem Sammelnamen Linné's zusammengefasst werden soll, erscheint aus dem Grunde nicht rathsam, weil nach diesem Vorgange sehr verschieden gestaltete Pflanzen zu einer gleichen Bezeichnung³⁾ kämen. Ich erinnere an die Extreme *R. sil-*

¹⁾ Vergl. Nr. 1, S. 17.

²⁾ Haussknecht in Mittheil. d. thüring. botan. Vereines p. 32 (1891).

³⁾ Für die Bastardbenennung habe ich die Bezeichnung „*obtusifolius*“

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Österreichische Botanische Zeitschrift = Plant Systematics and Evolution](#)

Jahr/Year: 1892

Band/Volume: [042](#)

Autor(en)/Author(s): Freyn Joseph Franz

Artikel/Article: [Plantae novae Orientales. 46-50](#)